



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídq̄ue is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637038

Discursus II. Quæ causa modici ex auditis sacris Concionibus fructûs?
Modici hujus fructûs causam plerumque esse audientium ineptitudinem,
qui in triplici classe sunt: prima eorum est, qui illas rarò ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

temporis momenta omnia concessa sunt : & tamen negotijs omnibus gerendis tempus suppetet illi, quod præ ceteris agendum est, nullum supererit.

DISCURSUS II.

De Causis modici è Sacris Concionibus auditis profectus.

I. **M**axima laus, quæ Dei verbo tribui potest, ea est, quod ipsum Deum laudatorem habuerit. *Fecisti omnia in verbo tuo*: sic divina Sapientia loquitur. Indicat autem his verbis, quod, sicut Verbum Dei increatum princeps est causa rerum omnium factarum: *omnia per ipsa facta sunt*: ita Dei verbum prædicatum causa sit instrumentalis nostræ reparationis, seu refectionis: *Fecisti omnia in verbo tuo*. Hoc si in peccatores incidat, non solum mortuos morte culpæ, sed qui in veteratis sceleribus effecti sunt compages quædam ossæ, eâ vi pollet, ut ossa hæc arida veste iterum possit veste carnea, & novam iis vitam ac spiritum inspirare: *Ossa arida audite verbum Domini*: si autem in animas incidat, defectuum suorum morbis infirmas, & ægrè spiritum trahentes, mutare illas potest in filias Dei electas. *Illos dixit Deus, ad quos sermo Dei factus est*. Sic Christus Servator ipsemet affirmavit, ut, si S. Thomæ credimus in hæc verba commentanti, significaret, illos, qui prius, quàm Dei verbo audiendo operam darent, vix hominum numero censerì poterant, illo audiendo velut in Deos mutandos,

multâ videlicet divinæ per multiplicatam Gratiâ naturæ participatione. Hinc Dei vox comparatur calamo scribentis; *Lingua mea calamus scribæ*: nec enim vox est transiens, & mox deficiens, quæ quo momento nascitur, eodem occidit; sed est vox permanens ac stabilis, quæ animis, & cordibus impressa manet per omnes ætates, persuadendo cunctis Nationibus, quovis tempore, omni loco, res tam sublimes ad credendum, tam arduas ad sperandum, tam factu difficiles, quales sunt re ipsa illæ, ad quas credendas Religio Christiana tantam humani generis partem induxit. Repetere visum est hoc loco ac tempore, quæ jam in prima Dissertatione vobis patefeci, ut viam mihi sternerem ad respondendum non levi argumento, quo jam tum in animis vestris assertionem meam impugnabatis: nimirum, non videre vos illa, quæ exaggerabam, Divini verbi prodigia. Tot passim sunt hujus verbi præcones, toties pro concione illi dicunt, ubi autem fructus? Si Eæ Conciones primis illis seculis magnes erant, qui etiam ferrea corda ad se raperet, necesse est dicere, Magnetem hunc suam hodie trahendi vim amisisse; cum illo jam nemo trahatur. Nimis quàm

verum est, quod objicitis, atque idcirco hac Dissertatione propositum est mihi hujus rei causam investigare.

Inc. 8.
II. Dei verbum in sacro Evangelio nobis sub Allegoria seminis proponitur: *semen est verbum Dei*. Quod autem hoc è semine fruges non nascantur, id seminanti, Deo inquam, tribui non potest, qui nihil magis desiderat, quàm copiosam messem colligere. Id igitur vel in ipsum Concionum semen, vel in terram audientium, qui recipiunt, referendum est. Non nego, causam modici fructus non semel eam esse posse, quòd verbum Dei non jam verbum Dei sit, sed verbum hominum; adeò illud immutatum est: sicut proinde aqua metalliferæ, quæ vi pollent medicâ, alijs aquls communibus fluendo permixtæ, non sunt, quæ fuerant; sic Dei verbum permixtum, aut, ut rectius loquar, profanatum linguâ, quæ nihil nisi terram sapit, mirum non est, si eâ sanandi vi non valet, quam ceteroquin exerit, cum purum & sincerum in suo fonte bibitur. *Qui habet sermonem meum*, ait Deus, *narrat sermonem meum verè*. Qui verbum meum annuntiat, ut meum, non ut suum annuntiet, & sacras literas vero in sensu interpretetur, non autem in sensum omnino alienum detorqueat. Hæc equidem singularis mali Dæmonis ars fuit, eum in finem ab eo excogitata, ne deinceps ex vitali Concionum semine optatæ fruges in animis pullulent, quæ ceteroquin erant pullulatæræ. Formicæ illud seminum cor arrodunt, ex quo primùm fruges progerminant, & hac arte diu illa in subterraneis locis

Ierem. 23. 28.

servant: quin folia emittant: *Semina Plin. arrosa condunt, ne rursus in fruges exeant à terra*. Non est ambigendum, quin eandem artem Dæmon egregiè calleat: & hinc id agite studiosè, ut illud veritatis principium, in quo tota vis sita est, verbi Dei expositioni adimat, ut sic unquam speratos fructus afferat.

11. 43.

III. Nihilominus Christus Servator potissimam causam, cur Dei verbum nihil proferat, hanc solam esse affirmavit, quod audientes illud excipiant imparati; ut sic innueret, animorum nostrorum ineptitudinem nonnunquam, non principem modò, sed solam ejus mali causam esse. Et de hoc præparationis & aptitudinis defectu pluribus agendum est, tres in classes istos tam ineptos cum S. Thoma dividendo: *Non audientium, non acceptantium, Recidivantium*. Prima ergo eorum est, qui Concionibus adesse nolunt: secunda eorum, qui etsi audiunt, non acceptant tamen; tertia illorum, qui cum etiam acceptârint, curam deinceps nullam adhibent.

Exec. 3. 7.

I.

IV. Primi igitur, qui Divini verbi virtutem enervant, ij sunt, qui illi audiendo operam dare nolunt. *Qui* utramque in aurem dormire vult, valvas ante omnia obducit, ne lux per fenestras immissa somnum fortè discutiat. Idem nonnulli Peccatores faciunt; ut vitiorum suorum somnum quietè dormiant, omnem lucis radium, quæ excitare fortassis posset, declinant. Si matutino in sacro verba Curio facit, ad illud accedunt, quod tar-

In Jo. lect.

Cyriil. Alex. 10, 19.

tardius fit: at si posteriori Concio interponitur, studiosè, ad primum ventitant, negotia causati. Sed re ipsa quod illos urget negotium, aliud non est, quàm ut illà molestià se liberent, quæ nasceretur ex noticia, quam Curio refricaret. Mortis propinquæ, Judicij severi, inferni aperti, quæ illorum quietem turbat, qui alium in sceleribus dormiunt. An certius aliud argumentum desideratis, quo vobis innotescat, hos homines non esse ex ovibus Christi, cum ejus vocem audire nolint? Hæc est causa, cur Præconem audire nolint, quia nolunt audire Deum: *Nolunt audire te, Dei ad Prophetam verba sunt, quia nolunt audire me.* Quin si quo casu præter spem adsint, cum Sacerdos dicere parat, non pudebit eos inchoata jam Concione abire, illo actos à dæmone, qui eorum animum occupat. Non dubito hæc asserere præeuntem securus S. Cyrillum, qui de Juda, in Cœna ultima à sermone Christi recedente, *continuo exiit, differens, nostisne, inquit, cur exiit? Idèd, quia Dæmon eum foras pellexit, ne fortè Dei verbum audiens resipisceret, & admittæ à se noxæ veniam peteret. Ne moram faciens, & audiens verbum Dei, scelus expneret.* Acque hi sunt illi, qui nunquam à malis suis artibus fæticandis desistunt; non reddunt injustè & malè parca; non Deum blasphemis lacessere, non pejerare, non turpia loqui desinunt? verbo hi, & non alij magis sunt, qui Christo manus dare obstinatè renuunt.

V. In mari Germanico piscium genus est, ex quo ne unum quidem alium quem Piscatorum quisquam à se reti conclusum gloriari potest; non alia de causâ, quàm quia isti semper in fundo hærent. Erit invenire fœminam, in suo fœdarum libidinum cœno sepultam: hæc pro sacro, quod in Parochiali æde, ubi Concio habetur, audiendum esset, domestico aliud in Sacello audit. Talis anima quomodo divinæ Gratix reti capietur? nisi Curio ad ejus se ædes conferat, ibique de DEO verba faciat, ad ipsam suo in fundo deprehendendam, actum est de illa. Id proinde faciendum esset, quod olim Vati Jeremiæ imperatum est, ut non jam ad templum, sed ad portam urbis, ad quam maxima populi multitudo confluebat, se conferret, & ad concionem ibi coactam diceret; *Vade, & sta in porta filiorum populi mei, & dices ad eos, audite verbum Domini.* Si vobis non lubet ad auscultandum accedere ad templum, res posceret, ut vestras ædes accederet Parochus, & in earum limine, vel vestris in gratis, sermonem de rebus divinis inferret: & donec ille hoc consilium capiat, vos ad audiendum non acceditis, atque ita negligitis medium ad salutem vestram tantopere necessarium. Narrat Cardinalis Vitriacensis, Ruricolam fuisse, qui animum obstinaverit ad nullam unquam Concionem audiendam, sic ut ad prima Concionantis verba è templo se proriperet. Multis in hac contumacia transactis annis vivere desit miser, & cadaver, pro more in

Tem-

Ezech
3. 7.Jo. 1
10.Cyrill.
Alex. in
Jo. 19.

Jer. 17.

Templum deportatum est. Sed audite commensuratum culpæ supplicium! Dum solennes Ecclesiæ preces mœsto cantu pro eo solvuntur, Cruci affixi Servatoris simulacrum utramque manum clavis, quibus figebatur, liberat, & cunctis, qui aderant, aspeçantibus, aures lisdem obrurat; Curio igitur ad eos, rei novitate attonitos stupentésque, conversus: Quia, aiebat, iste dum viveret Dei verbum audire contumaciter abnuit, nec Deus nunc, iusto iudicio, audire vult verba nostra, quibus pro eo veniam poscimus. Habeat igitur sibi Orcus hoc corpus, cuius spiritum jam possedit, possidet, & ceterum possidebit: & cum dicto, omisso reliquo cantu, cadaver illud asini sepulturâ sepeliri iussit. Funestus sanè hic fuit exitus & horrore plenus! & vobis cordi non sit illius meminisse, cum Dæmon vos sollicitabit ad fugiendum à Deo per Ministrum suum vos alloquente?

VI. Quamquam autem nemo fortassis est ex hoc numero, qui eâ causâ adesse Concionibus nolit, quod animum in sceleribus obfirmârit, cum hic sit supremus malorum, ad quem perveniri possit, gradus. At non proinde spero esse neminem, quem animi elatio à Dei verbo auscultando avocet: non enim deerit forsitan, qui sibi persuadeat, aliena sibi hortatione & institutione opus non esse. Sed ô quàm damno suo desipiunt, quicumque ita sapere sibi videntur! Demus, ita esse, quod non sint vi intelligendi hebeti atque obrusa: non idcirco affirmari potest, opus ipsis non esse, ut operam dent sacris Concionibus, quin etiam ipsi rudium

In Christianæ Fidelis elementis Institutioni. Ingens, sed vulgò non cognita, est differentia inter aquas manantes, & pluvias. Quæ ex nubibus depluit aqua, fecunda est, plena spiritibus, vitâ atque substantiâ. & plantis tam necessaria, ut sine illa vegetari diu non possint: quâ quidem virtute non pollet aqua, quæ scaturiginem in terra habet, idque propter nimium suum frigus. Nec dispar est ratio cognitionum, quas parte una suâ quis intelligendi perspicaciâ fingit, parte autem alterâ Deus, Ministrorum suorum docentium usus operâ, nobis infundit. Priores illæ steriles sunt, & ad agendum non impellunt. Posteriores virtute & efficacîâ abundant, ob gratiam illam, quam aliàs dicebam, à Deo semper adiungi. *Dat voci suæ vocem virtutis.* Quæ igitur dementia est, in animum inducere, sibi Deo loquente non esse opus? Hoc enim perinde omnino est, ac si quis putaret, agris suis pluvias necessarias non esse, propterea quod vivus aliquis rivulus eas percurrat, contra quam aliorum id agris accidat. Nemo non Dei verbo indiget, seu rudis ille sit & hebes, si ve acutus ac perspicax: quin si vel Salomonem aliquis æquaret sapentiâ, non idcirco liberum pronuntiare aude-rem à debito veniendi & auscultandi, quid Deus dicat. Digna noratu res est, quod pisces marini, qui in vastissima illa aquarum congerie natant, quæ fundo carere videtur, opus tamen habeant aquâ ex nubibus depluâ, vitâ ceteroquin non propagaturi, si quidem Philosophus rectè sensit, Quis Davidem Regem aut naturali intelligendi

Cardan.
lib. de
ver. Sa
riet. c. 1.

Arist.
4. hij
anim.
1.

Arist.
lib. 1.
Anim.
c. 19.

2. 5.

gendi acumine superat, aut plus eo luminis in rebus divinis accepit? Et tamē iste salubri verbi divini latice tantopere indiguit, ut miser Rex tamdiu, & totius scilicet anni spatio expers vitæ gratiæ permanserit, donec tandem Nathan Prophetæ ore benignè admodum hunc Deus illi communicaret. Assero proinde, cum quis ad id destinatus de Deo verba facit in Templo, cunctos debere ad eum audiendum confluere, etiam Sacerdotes, etiam Confessarios, etiam illos, qui omni scientiarum genere exculsi sunt, ut palàm profiteantur, sibi in suo mari pluviam tamen opus esse.

Arist. 1. 4. histor. Anim. 6.

VII. Quamquam ubi tandem, ubi, quæso, inter nos sunt ista Sapientiæ miracula? Illi ipsi, qui, quæ ad corpus spectant, præcunctis aprissimè & solertissimè curare nõrunt, præ omnibus deinde in animæ negotijs hebetes sunt ac stolidi. Animalium eorum instar sunt, quæ Molos Philosophi appellant, quæ fere omnia caput inter pedes ac ventrem habent. Nam & isti aliâ perspicaciâ non valent, quàm quâ sua procurent commoda, aut corporis indulgeant oblectamentis; ad inveniendos inquam modos, quibus aut per commercia rem augeant, aut quibus aliter aliterque se oblectent, ad res animæ quod attinet, sine capite sunt, tam & ignorantes omnium, & ad omnia inepti sunt. Et hi scilicet nihil habeant quod porro discant? *Ne qui sapientes estis in oculis vestris!* Non est qui perpendat, se, cum ita se gerit, sibi ipsi hostem esse. segregando se è Fir. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

delium Cœtu, severiùs, quàm unquam Ecclesia perfidum aliquem & contumacem segregarit. Ecclesia sacro Anathemate percussis prohibet, ne Sacerdoti Sacrum facienti adsint, tam rigide, quàm à tam sancta functione Ethnicum aliquem arceret; quò minus tamen pro concione dicentem audiat, interdicat nemini. Pejùs igitur animam suam habet, qui talis est, quàm illam haberet Ecclesia, si Perduellis esset sacro interdicto subjectus: nec ego ullo modo ambigo, quin non unus duntaxat inter vos sit, qui pro conditione, quâ nunc est, magis indigeat, ut salutaria docentes audiat, quàm ut Missæ Sacrificio adstet, qui que hoc ex capite forsitan delinquat graviùs, si omittat audire de rebus animæ differentes, quàm si omittat adesse divinam Hostiam litanti.

c. Resp. de sentent. excom. munic.

Bonac. in 3. prac. p. 2. n. 28.

Hom. 26. ex 50.

VIII. De ijs porro quid dicemus, qui causantur idcirco se cum alijs non adesse Concionanti, quòd non habeant locum, aut sedem commodam, in qua dicentem auscultent? Nõstis urique, antiquorum seculorum Christianis, pro insigni sua in Dei verbum reverentia in more positum fuisse, illud stando audire: sicut S. Augustinus profitebatur se, et si seos, qui ex ipsius ore pendebant, imbecillitatem quorundam miseratus, rogasset, ut considerent, id tamen ab ipsis impetrare non potuisse. Quin & Imperatores Sacrum Præconem in pedes erecti audiebant. Certè Eusebius Cæsariensis narrat, se in Ecclesia perorantem impensè rogasse Constantinum Imperatorem.

C

ut

ut suo in throno assidens sibi operam daret: illum verò noluisse unquam roganti obsequi, propterea quòd diceret; res Sacras non nisi à stantibus audendas esse, atque ita se illas audire consuevisse, ex quo Christum esset amplexus, cum id aliis passim ejus ævi Christiani facerent. Hodiernis autem moribus rem magnam videtur præstare, qui vel Sacrificanti non sedens adest; & illi ipsi, quibus virium abunde est, ut à primo mane ad serum usque vesperum laboribus suis stantes defungantur, videntur ne semihorulæ quidè spatio ad stare dicenti posse, quin periculo se exponant, ne animo linquantur.

II.

IX. Sed mittamus nunc illos, qui audire nolunt: nam qui tales sunt, me jam non audiunt: loquamur autem de illis, qui me audiunt quidem, sed non parati, qui est alter scopulus, quem vobis indicare constitueram. *Non audientes non acceptantes.* Et primò quidem sunt, qui non nisi nova ac curiosa audire vellent: sed perperam, & contra Sacri Vatis monitum: *Interrogat de semitis antiquis.* Id semper vobis propositum sit, inquirere, quæ sit semita recta, si aberrare non vultis: quod perinde est, ac dicere: Carum vobis sit, ut sacer Præco sæpe iisdem de rebus disserat, ut eas animis vestris imprimat altius; & illa exaggerando proponat, quæ eorum sunt è numero, ut ex ijs plus pendeat. Ad me quòd attinet, verum ego bonum vestrum spectabo unicè, nec patiar me à quoquam prohiberi, quò minus, tanquam verus Pastor, in eadem vos pacifica reducam sæpius, si præ ceteris &

pinguia & salubria esse ad vertero: multò que minùs refugiam à modo dicendi facili, plano ac proprio, cum hic omnibus maximè utilis esse soleat. S. ^{Barthol.} Joannes Chrylostomus, cum Antiochia ad concionem dicere cœpit, genere dicendi utus est exquisito ac sublimi, respondente ingenij sui subtilitati; sic ut rudiores dicentem non assequerentur: unde bona aliqua anustantum sumpsit animi, ut ex sacro suggesto descendenti hæc verba insultraret: Pater, placeat tibi rationem habere nostri miserorum rudium, qui te dicentem non assequimur. Tantum hæc verba apud virum sanctum valuerunt, ut mox dicendi stylum mutaret, itaque descenderet, ut vel rudissimi in eo intelligendo non laborarent. Id autem nō fecisset, quis demum Concionum ejus fructus futurus fuisset? modicus sanè, si ullus. Hamus, qui nō capitur, non capit.

X. His pejores illi Auditores sunt, qui nunquam à dicente perstringi vellent? *Loquimini nobis placentia;* dicebant Judæi illi pessimè affecti ad suam Vatem; qui ipsi multos è Christianorū numero habent imitatores. Volamus adesse frequentes & prompti tam Institutioni catecheticae, quam Concionibus: sed cave nos increpes, aut minis terreas; *Loquimini nobis placentia; videte nobis errores.* Dic nobis; cunctos nos certò salvos fore; Deum esse bonum; satis esse tundere pectus ad admissorum veniam impetrandam: cave inculces nobis quotidie formidanda illa Novissima: in choreas, nocturna conventicula, assuetudines diuturnas, commercia nō optima, ne inveniaris;

haris; sic inter nos conveniet. *Filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, Nolite videre; Videte nobis errores.* Hoc igitur est, quod à me peritis, ut placendi vobis studio vos prodam, & ut vestra vulnera in gangranam degenerare sinam saccharo asperso, ubi emplastris fortibus est opus? Absit hoc à me. Vera vobis denuntiabo, dum spiritus superest: nec clamare omit- tam, ubi voce submissa parùm me pro- fecturum sperem. Qui se tangi sen- se, sic, sibi impuet. Qui dolet, pro- dit se sanum non esse. Medicorum assertionem, *Membramagis dolentia, in- flammationis magis obnoxia* Cùm pro- inde auditis, aliquos ex Auditorum numero se movere & perstreperere, iras- ei concionantis dictis, & obmurmura- re, quod longius, quàm par sit, progre- diatur, cujus rei id argumentum esse existimatis? Signum est certissimum, nullos illis ex omni multitudine de- teriores esse; esse membra minùs sana al- liis quibuslibet, atque adeò quæ præ ce- teris opus habeant illa medendi ratio- ne asperâ, quam tantopere averfantur. Qui vehementiùs non increpat, non intelligitur; quæ frigidè aut remissè dicuntur, altè in animos non descen- dunt. Estne qui ligno signum imprimat, cùm ferrum friget? ego certè hanc artem non calleo; molli ceræ imprime- tur, sed non duro asseri. Sic cùm Pecca- tor longè assuetudine depravatus non est, quando in virtutem propender, quando paratus est, tum locum da- veritati, etiam suaviter & blandè propo- sita; non ita se res habet, cùm vitij animus occalluit; hic resistit con-

tumax, nec cedit, nisi in Dei verbo, quod simul & ignis est, & malleus; mal- leus ad intellectum pertundendum, & ignis ad voluntatem accendendam, *Verba mea quasi ignis, & quasi malleus conterens petram.* Certissimum vobis sit, ejusmodi hominum genus, aut cedere nunquam, aut non nisi voci validæ, & cum impetu vibratæ cede- re, quæ ipsis ob oculos ponat immi- nens exitij sempiterni periculum, hor- rendam vitæ pravæ & exemplo noxiæ deformitatem, & majorem, quam indies in vita emendanda experientur, difficultatem. Verbo, omnis Pecca- tor, S. Hieronymo teste, Gygas est, qui non nisi Davidis fundâ humi pro- sternitur, Sacrarum inquam Literarum minis, ut Propheta indicat: *Inimicos suos subjiciens lapidibus funda?* quando igitur lapides isti ferirent feliciter, si non nisi lento & remisso brachio tor- querentur?

XI. Quid autem audientium all- qui tam non admitterent ad animum dicentis monita, ut exibilarent etiam, & mimicæ gestulatione imitari non veri- ti, risum ex ijs in conventiculis capta- rent? Sanè nescio, an ullus sit Peccator, cujus res deteriore sint loco, quàm illi, qui verbum Dei explodit. Non dubitè affirmare, minùs sibi damni accersitu- rum, qui Concionem vituperet, quàm qui irrideat. In morbis corporis illa de- liria, quæ cum risu conjuncta sunt, mi- nùs habent periculi: non eadè est mor- borum animi ratio. In his non videntur ulla deliria plus habere discriminis, quàm istorum stultorum festivorum, qui ip- sas quas audierint, de Deo Dissertatio- nes

Ezech. 33, 1: nes in risûs materiam vertunt: *In can-
ticum oris sui vertunt illos.* Nec hî: si-
stet malum, sed eo ex capite augetur,
quod etiam ad fructum divini verbi
auditi in alijs impediendum hî tales
progrediantur. Unde si metuunt, ne
Oratoris Sacri verba ad cor personæ a-
licujus scelerum sociæ penetraverint,
ad eam mox se conferunt, & alla aliâ-
que in medium afferendo ad authori-
tatem dicentis elevandam, eumque exi-
bilandum, id tandem efficiunt, ut mise-
ra maneat, qualis fuerat. Piscis ille,
quem nos Torpedinem dicimus, pro-
pterea quod manum capientis ipsum
stupefaciat, non tantum est piscis verlu-
tus, qui vix unquam in retia incidat;
sed præterea cum casu aliquo sociam
suam reti implicatam cernit, omnia mo-
litur, ut illa se denuo explicet, & evadat.
Fingite nunc animo implicitam Con-
cionatoris retibus Puellam aliquam va-
nitatis studiosam, quæ propterea quod
intellexerit pericula, quæ connexa sint
cum voluntate frequentandi chorearû
loca, ad fenestras spectandam se offe-
rendi, & ubi ubi se offert occasio nimis
quàm familiariter cum diverso sexu
vivere. Si in hunc ejus animum ama-
tor impurus introspicit, adest cõfestim,
& per mille ambage tam multa in me-
dium affert, ut denique nodos omnes
explicet, aut rumpat. Amare, inquit, &
amari, peccatû non est, receptus patriæ
mos est. Si long' us paulò antehac pro-
gressi sumus, quâ n. arcti honestatis li-
mites permittant, intra eos delnceps
nos continebimus, quin abruptamus
commercium. Concionator homo
otiosus est: sine illum dicere quod vult:

aut omnes, aut nemo nostrum salvus
erit. Atque his verbis animam Chri-
sti retibus expedit, & in mari denuo,
inter majora, quàm unquam antehac,
pericula destituit, eò usque, ut suâ mi-
sera de libertate sibi plaudat.

XII. Tantum vobis hodie tribuam,
ut mihi persuadeam, nullos esse inter
vos tam perditos ac desperatos, ut non
contenti in exitium sempiternum rue-
re, alios secum trahant, atque ita Or-
ci Procuratores agant, perinde ac si
jam ipse causæ suæ quàm optimè agen-
dæ non sufficiat. Id quod accidere fa-
cilius potest, est, quod multi vestrum
inviti ad verbum Dei audiendum ac-
cedant: & eâ causâ vel non atten-
dunt, vel mox fastidio afficiuntur.
Non attendere aurem, perinde erit,
ac non audire. Sunt qui aures in Con-
cionem afferant, cor domi delinquant:

*Aures in auditorium, non mentem af-
ferunt;* ut Sapiens ille Judæus loqui-
tur. Animum affixum habent aut
negotijs familiæ, aut in splendidiore
vestium apparatu, aut in eo quod curi-
osius videre, aut blandius videri desi-
derent: & ideo subinde nesciunt qui-
dem, de quo argumento Concionator
verba fecerit. *Non recipit stultus ver-
ba prudentia, nisi dixeris ea, quæ versan-
tur in corde ejus.* Si Sacer Orator dis-
fereret, quibus omnis eorum animus
occupatur, quàm fidâ & non fallente
memoriâ reddere possent, quæ audie-
runt omnia? Vasculum ex ligno he-
deræ confectum aquam retinet, vi-
num ex eo diffluit. Non absimiles ipsi
sunt, Satis esset ridicula miscere serijs,
& sacris Sermonibus, & tunc videre es-
set, quàm fideliter omnia animo re-
tine-

Luc.

Philol.

Stella

ca. 11.

Luc.

her. 20

div.

Prov.

Boët.

2. de

scia.

tinere. Ex hac etiam animi evagatione nascitur, ut audientes dicta non assequantur. Interim culpa in Oratorem conjicitur, quod nimis sublimia afferat; et si immerito. Si gladius rectus est, incurva autem & obliqua vagina, ille in hanc immitti non poterit: cuius autem culpâ? vaginae utriusque, non gladij.

XIII. Ad tædium quod spectat, nihil profectò illud boni portendit. Jam aliàs me dicere memini, non vanam Animæ ad vitam æternam prædestinata esse signum, libenter audire verbum Dei, juxta illud Christi Servatoris: *Beati qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud.* Beati qui Dei vocem prompto ac libenti animo audiunt, qui que ut magna illam cum æstimatione recipiunt, ita non minore deinceps cura ut thesaurum pretiosum custodiunt. Duobus modis dicunt Interpretes, Cælestem felicitatem Dei verbo contineri; *in radice* nimirum & *in signo.* In radice continetur, hoc est, virtute, & modo quo in radice totus est fructus, sic ut ab ea pendeat dum nascitur, dum crescit, & dum ad maturitatem perducitur. In Signo autem continetur; quia significat animam bonam. Libenter audire concentus Musicos, ex naturali quadam harmonia, & interna proportione, quam humores ipsi ac sensus cum concentu illo habent, nascitur. Unde hoc non delectantur, nisi sani; ægri è diverso, quorum humores perturbati sunt, omnem harmoniam pro incondito strepitu habent, Non aliter prompta illa voluntas & aviditas ad audien-

dum Dei verbum nascitur ex Animæ cum Christo Servatore consensu & adhesionem: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Et hinc homines perversi, cum humores internos, animæ inquam facultates, ita peccato perturbatos & confusos habeant, non nisi cum fastidio sermones de Deo auscultant: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

XIV. Neesse igitur est venire cum aviditate magna ad audiendum verbi Dei Præconem & voces ejus excipere, non ut voces hominis peccatis obnoxij, sed ut voces Dei potentis omnia. Atque hoc est, quod tantis laudibus extulit Apostolus in antiquis illis Christianis, huic causæ attribuendo fructum illum insignem, quem eorum ad Christum conversione erat assecutus. *Non accepistis illud ut verbum hominum, sed sicut est verè, verbum Dei.* Hæc ipsa ratio animo perpena vos impellet, ut non avidè tantum, sed & constanter ac crebrè ventitetis, arbitrati, vos non parvâ jacturam facere, si vel semel negligatis occasionem, audiendi differentem de rebus divinis. Observate, Servatorem nostrum non illos beatos pronuntiare, qui verbum Dei semel iterumve audierunt, sed qui *audiunt: Beati qui audiunt verbum Dei:* ut indicaret, frequentiam in Dei verbo audiendo esse causam effectricem admirandorum operum, de quibus hucusq; disputavimus. Ne aqua situ corrumpatur, non satis est semel illam igni eliquare: septies cum illa ad focum & exudationem veniendū est. Pati modo constantiā in beneceptis ac frequentia facile obtinebitis quod petices tantū accedendo non assequemini.

Philol
Quia si
ver. v
iv.

Stella in
ca. 11.
Luc.

Provi

Boër. lib.
2, de Mus.
sica.

III.

XV. Hæc res in mentem mihi revocat errorem tertium, qui in Sacris Concionibus audiendis admittitur, qui est, post aliquem ex eo audito haustum fructum, non id sollicitè agere, ne de novo pereat, & postquam cæleste semen in animo nostro sparsum est, sinere ut excidat, seu rectius, opprimere illud & suffocare. *Non audientes verbum Dei non acceptantes recidivantes.* Enimverò digna vel sanguineis lacrymis calamitas est; videre, quanto conatu opus sit, ut aliqui adducantur ad audiendos de Animæ negotijs sacros sermones: quanta claritate necesse sit ipsis explicare, quæ proponuntur, ut ea probè intelligant: quanto studio & arte animos eorum sibi devincire, ac sensum progredi oporteat, ne nauseare occipiant; & post hæc omnia, cum fallacem quis ad maturam messem expedire se posse putat, videre inquam, omnia in Herba exaruisse. Sacra illa Excursio virorum Apostolico Spiritu plenorum videbatur debere inserere & plantare stabilem timorem Dei in illa Regione, extirpare radicibus detestatorum in Concionibus abusus ludendi, perpotandi, choreas ducendi, periculosas occasiones frequentandi; Et tamen in plerorumque animis virtus solidas radices non agit: sola in superficie hæserunt omnia; vix enim Sacer Orator dicere cessat, cum itur in antiquam silvam. Hæc tanta inconstantia inde sæpe est, quod multi non serio meliorem ad frugem reversi sint, sed quòd, ut S. Augustinus loquitur, interrumpant tantum peccandi assue-

rudinem, non abrumpanit. Si fluvius, qui stabiles ceteroquin alveo undas vehit, æstate aliquando præter modum sicca exareseat, non ideo non est fluvius. Ita Lex statuit. *Flumen, quod perenne fluebat, si æstate aliqua exaruerit, non Flumen ideo minus perenne est.* Sic igitur vita aliquorum perennis est fluvius blasphemiarum, perjuriarum, detractionum, libidinum, injuriarum. Si fluvius iste occasione quadam præter spem & morem oblata, Concionatoris alicujus Apostolici, tantillo tempore aquas iniquitatis non vehat, sed exaruisse videatur; non ideo fluvius non est: non ideo lascivus ille hircus, hircus esse desit; non ideo adultera, illa adultera esse desit: sunt quales erant. Verùm his omissis, propositum mihi est sistere in investigandis causis, ob quas tam citò recidunt, tam citò ad vomitum redeunt, etiam qui verè resipuerant in ordinariis, aut illis præter morem haberi solitis Concionibus.

XVI. Mihi quidem videntur duæ potissimum magis frequentes, magisque communes ejus rei causæ esse. Prima est, quòd semel audita deinceps non amplius in memoriam, mentemque revocentur. Ut cibus corpus nutriat, non satis est illum & salubrem, & succi plenum esse, sed insuper probè mansum ac remansum. Quid in eo utilitatis est, quòd Sacer Orator proponat vobis cibum doctrinæ salutaris ac sanctæ, si integrum & non præmansum devoratis, quin attentè perpendatis aut veritatem, aut pondus rationum, quibus ille vos induxit ad saniora? Serio hæc ac diligenter cogi-

tan-

tanda sunt, memori mente tenenda, de his domi cum familiaribus disse- rendum, alijs, qui non audierant com- municanda; absque his non nasceur, qui speratur fructus, nec in sancte de- cretis perseverabitur. Ex dentibus, Medici vitam brevem aut longam haud quaquam temere praesagiunt. Non minore cum fundamento ego respici- entibus ex iis, quae dixi, indicijs, vi- tam brevem, aut longam auguro.

XVII. Altera inconstantiae in bene ceptis causa est, quod, qui ad cor re- dierunt, iisdem se, quibus prius pericu- listemerè exponant. Nonnulli ubi dicentem audierunt, videntur oblitisci, se homines etiamnum esse, tam multa sibi de se promittunt. Deinceps, in- quiunt, non est periculum, ne peccem, Omnino ita est, limus igne duratus non tam fragilis est, quam ille, qui fornacem nondum subiit: si tamen in aliud corpus durum impingas fortius, & ille non difficulter in frustra abit. Quare si id agitis, ut stabilis ac durus sit sacrarum Excursionum, & Con- cionum auditarum fructus, cavere re- deatis ad loquendum, ridendum, aspi- ciendum eam omnino, quam prius liber- tate; res enim ipsa & experientia de- monstrat, securitatem aliam dari nul- lam, quam in perpetuo metu ac cau- tione, nec aliter ferè, quam fugiendo, hostem superari. Nulla non die vi- demus, vapores solis calore in aeream regionem elevatos, paulò post in plu- viam resolutos terram reperere. Sed quàm id causam? an non praestaret, si sublimem illum locum, & velut di- gnationis gradum constanter occupa-

rent? Recidunt, quia in media aëris regione, perquam frigida, sistunt, nec altius enituntur: in illa autem facile iterum densantur, cum radiorum so- larium vi tenuissimi antea redditi es- sent. Si pergerent altiora petere, ad hæc infima redirent nunquam. Qua- ritis vos ex me, quæ cula sit, ob quam non pauci ad laniora converti, ad in- eptias & sordes suas redeant, quod perinde est ac sublimiori è loco deor- sum ruere, postquam divinae Gratiae vi ex luto ac sordibus sublimia cõscen- derant? Ea causam in promptu. Isti post auditas aut sui Pastoris, aut viro- rum Apostolicorum hortationes, post elutas serias Confessione animi macu- las, post vitæ emendandæ decreta, caprum iter non prosequuntur; sed subsistunt in media regione, vitæ in- quam ratione inter virtutem ac vitium mediâ, quàm à peccatis quidem, sed non ab ijs, quæ ad peccandum impel- lunt, abstinere constituunt: unde re- deundo ad familiaritatem cum socijs prioribus colloquendo cum iisdem mulierculis, redeundo ad eadem con- venticula, refrigescunt denuo, & ut sic dicam jam iterum densi ac frigidi, recidunt, unde sese in altum vibrâ- rant.

XVIII. Hæc est vera ac genuina fructus non permanentis causa; non verò quod Dei verbum parùm effici- at, parùmque assequatur, ut nonnulli ineptè ex eo arguunt, quod videant multos in sancte decretis non perdura- re. Quid, inquiunt, isti tot conci- onibus, tot Sacris Excursionibus, o- pus est? Quidquid demum fiat, ho-

mjos

homines isti à se diversi non evadunt. Si hæc arguendi ratio aliquid conficeret, abstinendum deinceps esset à refectione corporis; quia non diu post etiam qui manducaverit, iterum esurire incipient. An igitur, quidquid Sacris in Excursionibus rectè ac salubriter fit, vestris in stateris nullius est ponderis? Tot confessiones rectius peractæ, tot bona aliena Dominis reddita, tantus de admissis dolor, tam multa opera pœnalia, tot lacrymæ fusæ, venia tot inimicis data? Si nullum posthac maneret gestorum vestigium, sufficerent, quæ gesta sunt ad compensandos abunde labores, quicunque exantlati sunt. Sed ultra præterita, multa etiam deinceps rectè ac utiliter fiunt. Illi ipsi, qui peccant iterum, aut peccant rariùs, aut non ita palàm, pudet eos vitæ suæ consceleratæ, eaque causâ tegunt solertiùs prava exempla, in quæ tam non obiter Oratorem in vectum audierunt. Notavit Galenus, aquam putrem & calefactam, si frigeat, etsi noxias alias qualitates non amittat, male tamen porro non olere. Patùmne lucri est, si impudens illa muliercula nunc latebras quærat infamiæ suæ, & si ille, qui palàm & interdum alienam, ut latro publicus, pudicitiam rapiebat, nunc in furem mutatus nocturnum, tenebras quærat, & videri metuat? Putris hæc aqua Sacræ Excursionis fervore calefacta, si non aliud, fœtore saltem, & putore alios offendere desit. Ceterùm vix nobis, si Dei verbo omnino carendum esset! non Innocentiæ tantùm, sed ipsius ad eò Fidelitatem pati contingeret, *Hæc est*

Gens, qua non audivit vocem Domini Jer. 7. 21
Dei sui, sic Jeremias Propheta loquitur: quid autem ex hac Dei voce non audita consequetur? id scilicet, ut etiam Fides deficiat *Periit fides*. Tanta, & non major, est Fides, ut sufficiat, ne quis ad Tribunal Sacrorum Quæstorum rapi debeat? fides est, quæ habitu tantùm creditur, & non actû: fides obscura ac confusa, quin imò non nunquam humana solùm, quæ fortassis rem ita se habere posse judicatur. In hæc autem tam turbida aqua quis explicet, quantum prædarum malus Dæmon capiat? Piscator in unda tranquilla ac pellucida hamo fortassis non frustrà à piscibus insidiabitur; sed reti- bus prædam includet nunquam, aquâ priùs non turbatâ, Si proinde Prædaror stygius alias animas non caperet, quàm illas, quæ videntes ac scientes in prædam illi se offerunt, tam paucas caperet, ut non nisi hamo piscari dici posset. Magnam piscium multitudinem trahit ad se reti in turbido ignorantia: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam* 1. 5. 3. Mundus omnis in retia Piscatoris Orcini incidit, quia illa non videt; non videt autem quia in his, quæ ad Deum spectant, institutus non est; *quia non habet scientiam*. Unde cum Deus gravia supplicia intentat, minatur se ablaturum Concionatores utiles *Mutam famem in terram, non famem panis, sed audiendi verbum Domini* Amos. 1. 11. Ubi constituero in fideles meos animadvertere supplicij genere planè formidando, paniam illos caritate, non panis, sed verbi mei Divini, sic ut nulli

libi invenire sit ejus fidum interpretem, quantacunque diligentia quaeratur. Hinc autem quid consequetur? Audite, *In illa die deficient Virgines pulchrae.* Id consequetur, ut tota illa, quam late porrigitur, Provinciam, non invenire sit Virginem, quae verè Virgo sit, & quae sub specioso virginitatis pallio non abscondat nequitiam tanto liberius, quod magis extra suspicionem est. Ita in locum illum S. Hieronymus commentatur, qui ex eo colligit, ex non audito Dei verbo, omne genus vitiorum nasci. *Ex quo intelligimus perire pudicitiam, castitatem mori, omnes obire virtutes.* Nec obscura ejus rei est ratio: ut enim Sapiens ille vel inter tenebras suas vidit, vitium in animum tot portis intrat, quot sensus patent: virtus autem non nisi per solam aurium januam ingreditur: ubi proinde non est, qui bene dicat, non invenietur etiam, qui bene vivat. Puniat nos sanè Deus caritate quacunque, sed ista non puniat: vindicet admittenda nobis peccata, sed vindicet pietate Patris, non furore Inimici. Et verò auferre, qui divina jussa interpretetur, est apertum Peccatoribus bellum indicare. Nondum censentur hostes illi Reges aut Principes, quorum uterque magnis delectibus militem cogit, arma expedit; quin ne tum quidem, cum ad Provinciarum limites velitationes committuntur, & mutuis se in juriis hujus illiusque subditi hostiliter laceffunt. Quodnam est ruptorum foederum & belli denuntiatio argumentum certissimum? an non cum Legati revocantur? Atque hoc minatur DEUS tanquam

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

poenam horribilem, hoc quod re ipsa exequitur, quando jam nullo modo pacem cum peccatoribus, sed vindictam vult. *Dominum exercituum auferet ab Jerusalem Prophetam, & Senem.* Tunc denuntiatum bellum est, tunc omne pacis studium ac cogitationem ponit, tunc clades, ac internecionem meditatur, cum Nuntios suos ac Legatos revocavit.

XIX. Ut redeamus ad propositum: en veras ac praecipuas causas, ob quas Conciones Sacrae non efficiunt prodigiosas illas in melius mutationes, quas efficere solent, cum obex nullus ponitur. Id nunc superest, ut quisque meliore, quo potest, modo tam perniciosabilia impedimenta auferat. Id nisi fiat, eò proficiunt calamitates nostrae, ut praeter inutiles lacrymas nihil porro operis superfit. Narrat Sacer Historicus, cum Servator noster aliquando observasset perfidiam Judaeorum, quae caelesti ejus doctrinae resistebant, non iram solum contra eos exarsisse, sed etiam maerore affectum? *Circumspiciens eos cum ira, contristatus est super cecitate cordis eorum.* Pro! quam infelix hoc erat omen! Naturam propendemus ad iram, cum quis obviam ponit operi, quod molimur: maerore tamen nemo affligitur, nisi cum videt ita sibi obstari ut diffidat, se posse perumpere. Hoc igitur unum superest Pastori vestro; cum videt, nullam jam à se dictorum rationem haberi, ut ob tot animarum caecitatem sanctam iram, maerore contabescat. Spem vos Deo lucrandi porro habet nullam,

D

DIS.